

ab Hohenfeld relicta Vidua. (a) Laurentius ab Oed citatus legitur à Georgio & Hademaro Dominis de Volckerstorff Anno 1445. (b) Johannes ab Oed testis adducitur in documento de Anno 1457. (c) Pancratius ab Oed idem munus Anno 1492. obiit. (d) Catharina ab Oed Johannis Dapiferi de Wolffenstein amita, ejus Hæreditatis particeps facta est Anno 1551. (e)

(a) *Archiv. Statuum num. 399.* (b) *Ibi num. 2589.* (c) *Ibi num. 2856.*
 (d) *Ibi num. 3320.* (e) *Ibi num. 3761.*

CAPUT XLII.

BARONES DE PRANCK.

Johannes de Pranck, cujus Majores à longo tempore inter Nobiles Stirpes Styriacas floruerunt, in mentionem Archivi Statuum Austriæ incidit sub Annum 1353. (a) Anna de Pösenbach primis nuptiis cum Friderico de Pranck copulata fuit, ex eo matrimonio genitus est Ernestus de Pranck quem Mater ejus in donationis instrumento de Castro Pranckiorum gentilitio Puchs / quod in Styria est, Johanni & Alberto Kainachiis Anno 1431. dato, allegavit. (b)

(a) *Archivum Statuum Austria num. 449.* (b) *MSC. Kainach.*

CAPUT XLIII.

COMITES DE PURCKSTALL.

Quamvis origines splendidæ Purckstalliorum Prosapiæ in Carnis quærendæ sint, nonnemo tamen ex illis jam antea tria retro secula in Austria lares suos habuit. Philippus enim de Purckstall & Margaretha Uxor ejus, Ortolfi Teschans filia in relictionis instrumento Anno 1354. condito, citantur. (a) Georgius à Purckstall, Stephani ab Eizing Sororem penatibus suis induxit testante alio Archivi Statuum documento de An: 1460. (b)

(a) *Archiv. Stat. num. 466.* (b) *Ibi num. 2911.*

CAPUT XLIV.

BARONES DE LASBERG.

Lasbergii illustres Barones ex antiquis Austriæ inquilinis sunt, & splendida officia in Aulis Serenissimorum Austriæ Principum olim obierunt. In Archivo Statuum Austriæ Ulrici de Lasberg primùm memoria occurrit, qui testamento cuidam An-